

\_Lettera\_N\_3533

Al papa Leone XIII

Beatissime Pater,

\*Augustae Taurinorum, 28 november 1881

Joannes Bosco Salesianae Congregationis Rector Major ad Beatitudinis tuae pedes provolutus pro eadem Congregatione humillime exponit:

Jam ab anno 1876 die 12 septembris Pius PP. IX felicitis recordationis concedebat haec Parochialia jura pro omnibus congregationis Salesianae ecclesiis concedebat:

“Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare et sanctissimam ministrare fidelibus Eucharistiam, verbum Dei praedicare, adolescentibusque Christianam tradere Catechesim, Augustissimum Eucharistiae Sacramentum asservari, illudque fidelium adorationi solenniter proponi, eoque benedici”.

Eodem anno sub die 9 Maj concedebatur facultas impertiendi Papalem Benedictionem omnibus Christi fidelibus in articulo mortis.

Hae facultates concedebantur in perpetuum.

Ad complementum jurium Parochialium a Clementia ejusdem Pontificis, benigne concedebatur die 21 aprilis 1876 ut sequitur:

1° Superiores alicujus domus Congregationis omnia munia Parochialia exercere possunt erga omnes habitatores domus. Hinc omnes Salesiani Presbyteri ad audiendas sacramentales Confessiones jam in aliqua Dioecesi approbati sola Superioris deputazione sociorum aliorumque alumnorumque de familia confessiones excipere possunt.

Iidem confessarii socios secum iter habentes absolvere possint etiam extra Dioecesim, in qua extat domus, praecipue cum ad exterarum Missionum proficiantur.

2° Habita ratione temporum, et magnae penuriae sacerdotum, praecipue eorum qui saepe saepius ad exterarum Missionum mittendi essent clerici salesiani, dummodo necessariis praediti sint requisitis, extra tempora a Sacris Canonibus statuta Ordines tam Minores tam Majores accipere possunt, servatis servandis etiam quoad interstitia quorum dispensatio semper ad Episcopum ordinantem spectabit.

Quae facultates benigne concessae fuerunt pro Italia ad triennium, pro aliis regionibus ad quinquennium. Hoc tempus cum elapsum sit et summopere urgeat hujusmodi concessio ad multas et graves difficultates de medio tollendas et ut bono animarum faciliiori modo provideri possit, humiliter sed instanter petitur ut hujusmodi concessionem benigne confirmetur et in perpetuum extendantur.

His et aliis quamplurimis Privilegiis gaudent aliae Congregationes

Ecclesiasticae inter quas recensere juvat Congregationem Missionis, SS.

Redemptoris, Passionistarum necnon Oblatorum B. M. Virginis qui absolutam

approbationem consecuti sunt die Prima Mensis Septembris 1826. Oblatorum Beatae M. V. congregatio paucis diebus post ejusdem approbationem omnium

privilegiorum communicationem est consecuta.

Sac. Gio. Bosco